



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de erroribus Pelagianorum, de gratia, de iustificatione & merito,
de virtutibus theologicis & quatuor cardinalibus, ac de ineffabili mysterio
incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

§. VI. Corollarium notatu dignum

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77177)

orationem habere ex charitate efficaciam merendi, quando meritoria est, & hoc docet D. Thomas: non autem omnis oratio ex charitate procedens meritoria est, ut ex ipso iam vidimus.

Objicies quarto contra ultimam conclusionem: Voluntarium in causa sufficit ad peccatum, & per consequens ad meritum, ut communiter docent Theologi in Tract. de peccatis, vanitatem declarant exemplis: Sed in instanti extrinseco vitæ Christi, & intrinseco mortis, mors fuit ei voluntaria in causa, nimirum ab actu libero suæ voluntatis, quo se causis mortis subiecit: Ergo in illo instanti Christus meruit.

Respondeo distinguendo Majorem: Voluntarium in causa sufficit ad meritum, si adfuerint omnes conditiones ad meritum requisitæ, concedo Majorem. Si desit aliqua conditio, nego Majorem. In instanti autem extrinseco vitæ Christi, & intrinseco mortis desit aliqua conditio ad meritum necessaria, scilicet status viæ, anima enim à corpore separata in statu viæ amplius non est, unde 2. ad Cor. 5. dicitur: Dum sumus in corpore, peregrinamur à Domino; & ideo in illo instanti Christus non meruit, non defectu libertatis, sed quia illud instans erat extra viam Christi.

§. VI.

Corollarium notatu dignum.

Ex dictis inferes, Vulnus lateris Christo mortuo inflatum, non fuisse meritorium: licet enim fuerit voluntarium in causa (nam Christus dum viveret, hanc sui corporis transfixionem admittere voluit) non fuit tamen illatum Christo in statu merendi constituto, cum iam obisset, & anima abesset à corpore: unde acceptatio quidem ejus fuit meritoria; non tamen ipsum vulnus, ejusque perperissio.

Quod de merito diximus, negantes illud vulnus lateris Christi, æque dicendum est de satisfactione contra Vegam lib. 7. in Trident. cap. 18. qui censuit plagam illam fuisse satisfactoriam, etsi non meritoriam: sicut (inquit) anima in purgatorio post mortem sunt incapaces meriti, non tamen satisfactionis. Sed negandum est animas purgatorii satisfacere, cum tantum satisfaciuntur. Præterquam quod est magna disparitas inter animam perfectionis capacem cum sensu doloris, & corpus Christi animam & sensu doloris plane destitutum.

Advertendum tamen est, quod licet hæc plaga nec meritoria, nec satisfactoria fuerit, nobis tamen salutaria fuit, nam ut inquit S. Doctor infra qu. 50. art. 6. in corp. Quidquid contigit circa carnem Christi, etiam animam separatam, fuit nobis salutarium, virtute divinitatis unitæ. Hinc SS. Patres asserunt sanguinem de latere transfixo e ductum post Christi mortem, fuisse pretium nostrum ac redemptionem, & lavisse peccata nostra, unde vulnus illud saluberrimum dicitur, & S. Ambrosius in Psalm. 40. ait Christum vulneratum vitam produxisse ex vulnere. Item serm. 3. in Psalm. 118. asserit quod sicut in vineis Engaddi lignum est, quod si quis compungat, unguentum, seu balsamum emittit: Ita Christus compungus in cruce, balsamum per cavernam compunctionis eripit, & odorem remissionis peccatorum, & redemptionis effudit. Hinc etiam Guerricus Abbas serm. 4. in Ramis palmarum piissime hortatur fidelem animam, ut abscondatur in fossa humo juxta Prophetam monitum, hoc est in latere Christi transfixo. Non ad ipsum tantum (inquit) sed in

Tomus IV.

ipsum fuge. In foraminibus petra ingredi, in fossa humo abscondere, in ipsis manibus foratis, in fossa latere te ipsum reconde. Vulnus enim in latere Christi, quid nisi ostium in latere arce, salvandis à facie diluvij? Illud tamen figura, istud autem veritas, ubi non modo servatur vita mortalis, sed recuperatur immortalis. Ideo quippe latus suum pius & misericors aperuit, ut cruore vulneris vivificet, calor corporis resocillet, spiritus cordis quasi patenti & libero meatu aspires. Ibi tunc latebis, donec transeat iniquitas. Ibi nequaquam aligebis, eo quod in visceribus Christi non frigescat Charitas, ibi delictis afflues, ibi gaudiis superabundabes, &c.

Similia habet Lanpergius homil. 54. de passionem Domini, ubi fidelem alloquens, sic ait: Disce habitare in hoc vulnere lateris, si enim amica aut sponsa est anima tua, ubi suavior illi thalamus dormiendi, quam in hoc vulnere? si columba es, ibi locus est tibi ad nidificandum, si passer esse decreveris, nusquam tibi magis conveniens erit locus, ubi abstractam & solitariam vitam agas, quam in corde Christi. Si turtur es, & castus variisque gemitibus ad Deum suspiras, hic locus requiemis erit. Hic esuriens manna invenies, quod edas; sitiens hic fontem salutis invenies, ubi bibas: hic enim est fons paradisi, & à paradisi medio egrediens, & in fidelium se corda diffundens: est hic ostium arce, per quod intrant non perituri diluvio.

ARTICULUS II.

An Christus per actum Charitatis quo Deum diligebat, meruerit?

§. I.

Proponitur ratio dubitandi, & referuntur sententia.

Ratio dubitandi, eaque gravissima est, quia 40. de ratione actus meritorij est quod sit liber, cum libertas sit una ex conditionibus ad meritum requisitis: Sed actus charitatis quo Christus diligebat Deum, non erat liber, sed necessarius: Christus enim, ut potest clare & intuitu videns divinam essentiam, necessario diligebat Deum, cum Deus clare visus ad sui amorem necessiter, ut docet D. Thomas 1. 2. qu. 4. art. 4. his verbis: Voluntas videntis Dei essentiam, ex necessitate amat quicquid amat sub ordine ad Deum: sicut voluntas non videntis Dei essentiam, ex necessitate amat quicquid amat sub communi ratione boni quam novit. Ergo actus charitatis quo Christus diligebat Deum, non erat meritorius.

Mirum est quantum hæc difficultas Theologorum ingenia exerceat, & in quam varios dicendi modos eos abire compellat. In primis enim Vazquez argumenti difficultate oppressus, disp. 74. cap. 3. absolute negavit Christum per actum aliquem charitatis erga Deum meruisse: cumque dilectio proximi, non à charitate Theologica, sed à benevolentia erga proximum, in ejus sententia eliciatur, consequenter censet per nullum actum charitatis Theologicæ Christum meruisse.

Alii distinguunt duas dilectiones in Christo, utramque ad Dei bonitatem in se & ratione sui terminatam: unam regulatam scientiâ beatâ, aliam scientiâ supernaturali infusâ; & asserunt primam fuisse necessariam, secundam autem liberam & meritoriam. Ita Soto lib. 3. de natura & gratia cap. 7. Viguierius in institutionibus Theologicis cap. 20. Medina hic art. 3. & Suarez disp. 39. sect. 2. idque probabile reputat.

Nnnn

Asturi-